

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Chiliano Goltstein S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

M. Velcurioni S. D.

Doctor Leonhardus Mertz, Syndicus Maide-
 burgensis, iam aliquoties huc scripsit ad me, rogās
 ut filio præceptorem quæram: ac maximè optat si
 bi contingere aliquem, qui exerceat puerum in his
 nostris communibus literis, & assuesfaciat eum ad
 lectionem elementorum Iuris audiendam. Ego ue-
 rò neminè uideo ei rei aptiorem, quàm te fore. Pa-
 ter uir bonus est, & erit gratus: quod ego certò
 scio. Sed uereor, ne pueri ferocitas absterreat te.
 Qui tamen uidetur reuocari posse ad modestiam,
 postquam sentit, quantum pater offensus sit nescio
 quibus rumoribus de eo dissipatis. Amabò te, respò-
 de. Ac uelim te promittere, nò respondere tantùm.
 Adest nuncius, qui à patre uenturus est ad me, à præ-
 dio. Fac sciam, quid decreueris.

Chiliano Goltstein S. D.

Et ingenium & fortunam Pacci noui. Hoc ma-
 gis miseret me & ipsius, & liberorum, & coniu-
 gis eius, quàm ullius pastoris. Quare non existimè-
 tis, me ullis suspicionibus ab illo alienatum esse: scit
 se antea sæpenumero suo tempore à me adiutū es-
 se. Verùm ego nò possum toties inuenire nouas con-
 ditiones, quoties ipse fastidit præsentè. Vellem eum
 non aspernari Herzbergensem nidum, donec com-
 modiolem reperisset. Nam sibi non consulit: & ta-

2 5 men

*Cons. Hamb. Wolfii.
 Rarici.*

men illam scholā negligit & evertit. Quod si scias
 aliam conditionem, quam sperat mea commenda-
 tione se consequi posse, non deero ei, ubi monstra-
 verit. Nam ego non scio quomodo ei cōsulere pos-
 simus, *ἁνὼς ἀγωγὴν ἀεὶ τῆ πατρῶν τῶν.* Vale
 feliciter.

M. Erhardo Hofatio S. D.

Dabis mihi ueniam, mi Erharde, quòd breuius
 nunc ad te scribo, quum conueniebat ex tanto in-
 teruallo reuocari ueterem scribendi consuetudinē.
 Nam occupationes meae non sunt tibi ignotae, quae
 subinde crescunt hoc tempore, propter publica ne-
 gocia: quae quo in statu sint, existimare facile po-
 tes. Planè mihi uidetur *ἐπιτρασις* esse huius fabulae,
 quam agimus: Christus efficiat ut leta sit catastro-
 phe. De puerorū studijs nihil possum tibi praescri-
 bere, neq; arbitror tibi meo consilio admodum o-
 pus esse: neq; enim ignoras quae sit optima ratio in-
 stituendae pueritiae. In hoc unum incumbes summo
 studio, ut efficias eos absolutos grammaticos: etiam
 si in ea re commoreris, nihil oberit. De tuis rebus
 quaeso, ut per occasionem ad me saepissime scribas.
 Nam ut scias, submolestè fero, quòd tam rarò ad
 me scripsisti, ex quo ad Vuilhelmū profectus

es. Vale. Anno 1536.

Ioanni